

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Heinrich Köpken

**Davidis Henrici Koepkenii, Phil. & Theol. Doct. ... Programma, Qvo In
Recurrentibus Pentecostalibus Feriis, dato inæstumabili Spiritus Sancti munere,
Ad Largissimam Beneficiorum Dei Messem pie & solerter agendum, Omnia
Ordinum Academiæ Cives ex officii ratione incitat et exhortatur**

Rostochii: Typis Johannis Wepplingii, [1720?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004002467>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1720. Pfingsten.

~~M. 1256.~~¹⁶³

ff. 1720.

XII
DAVIDIS HENRICI
KOEPKENII,
PHIL. & THEOL. DOCT. & PROF. DUC. PUBL.
atque ORDIN.

PROGRAMMA,
^{qvo}
IN RECURRENTIBUS
PENTECOSTALI-
BUS FERIIS,
dato inæstumabili
SPIRITUS SANCTI
munere,
AD LARGISSIMAM BENEFICII
RUM DEI MESSEM
pie & solerter agendam,
Omnium Ordinum Academiæ Cives
ex officii ratione incitat
& exhortatur.



ROSTOCHII,
Typis Johannis Wepplingii, SERENISS. PRINC.
& ACAD. Typogr.

M. 1256 163



Edit in Orbem lux

multo omnium exoptatissima,
dies longe acceptissima, tempus
que insatiabili omnes, quotquot
rerum sacrarum probe gnari sunt,
voluptate perfundens, quo DEus
O. M. admiranda prorsus solen-
nitate, omnes immensa benignitatis suæ thesauros in
redemptum Filii unigeniti sanguine mortale genus, & in-
primis dilectam sibi gentem, quasi devolvere, refertissi-
misque ineffabilium bonorum cumulis illam locupleta-
re voluit, ita ut velut opulentissimam inestimabiliuni
DEi beneficiorum messem agere, & rebus humanis ita
egregie exornatis exultare potuerit. Dederat benignis-
simus Pater cœlestis orbis humano Filium suum, qui homi-
nes, in miserandam perniciem profligatos & perditos, in
meliorem statum restitueret. Et hanc quoque æter-
nam DEI Patris sobolem, stupenda prorsus ratione, in
hunc mundum venire, impositoque munere exactissi-
me fungi cognovimus; non quidem his corporis nostri
oculis, sed mente, sed animo, sed cogitationibus, repe-
titis præconum vocibus ad illustre ejus spectaculum ex-
citatis. Vidi mus ita, quod omne ingenit acumen su-
perat, è sanctissimo Mariæ utero hominem natum, vi-
dimus infantem fasciis obvolutum in præsepi, & de-
stinatis sibi cunis decumbere, quin teneros vagientis
puelli sonos auribus nostris perceperimus; Adultiorem
vero, in spectabili eruditorum cœtu, doctrinas omnisa-
pientia imbutas spargere; & virum factum saluberrimi
præceptis viam salutis ostendere, eamque multis
admirandis operibus munire observavimus. Sed eun-
dem

dem qvoqve gravissimis Judæorum odiis circumseptum;
& acerbissimis injuriis pressum in custodiam abduci,
vinculis constringi, in jus rapi, accusari, condemnari,
verberibus lacerari, conspici, rideri, in crucem attolli,
& immani teterrimoqve mortis genere trucidari, at de-
victa morte in vitam redire, & in cœlos ascendere, con-
speximus. Qvieqvid vero ejus gestum fuit, id omne
in nostram omnium salutem, quinimo ut humani gene-
ris universitas salva esset, gestum esse animadvertisimus.
Homo enim natus fuit DEI filius, ut homo ē mortis
vinculis evalescens ad jucundissimam, omnibusque nu-
meris beatam vitam renasceretur. Infans factus est, ut
& pro infantibus, ac iis, qui adultiori sunt ætate, imo
pro viris senibus, & cujuscunque sexus hominibus co-
ram cœlesti patre suo fari, eorumque salutem curare
posset. Fascibus involutus fuit, ut homo ex implicatissimis
peccatorum nexibus evolutus, amissa DEI gratia rursus
circumdaretur. In angustis cunis & prælepi cubuit, ut
homo in spatiostissimis cœlorum campis eo lætius ageret.
Tenera voce vagiit, ut hominis æternam plorandi ne-
cessitatem elueret. Ut Puer docuit, quo puerilem hominis
ignorantiam discuteret. Ut par Mosi, imo major Mose
doctoꝝ, virili ætate occulta olim Dei mysteria tradidit;
ut obtenebratas mentes ad plenissimam sapientiæ co-
gnitionem deduceret. Tota vita luculentissima Divinæ
justitiæ, sanctitatis, innocentiae, humilitatis & patientiæ
dedit documenta, ut & hominis peccaminosi iniquita-
tem, squalores, flagitia, fastum, ferociam, indignatio-
nem expiaret, & lucidissimo suo exemplo ad meliorem
vitæ rationem ingrediendam eum incitaret. Inimita-
bilis & admirandis multis operibus eluxit, ut sub hu-
militate, celsitudinem, sub paupertate, opes, sub in-

firmitate, omnipotentiam , sub designatione , dignita-
tem, sub contemtu , gloriam suam demonstraret , sub
vili servi forma se cœlorum esse principem , qvin, DEI
filium assereret. Impudentes tartare i hostis tentationes
perpessus est,eumqve subegit, ut homo perniciofis illius
insultibus non amplius expositus esset, &, si forte adhuc
impeteretur , eum non minus vi suæ virtutis fortiter
repellere posset. Infensis Judæorum odiis & inseſta-
tionibus se affligi æqua mente paslus est , in exemplum;
ut homo etiam, si forte in aliorum odia irrueret , & ab
inimicis malis omnibus urgeretur , æqvo pariter ani-
mo difficultates istas perferret. Innocens & omni cul-
pa vacuu in custodiam dari , injectisqve vinculis in ju-
dicium trahi , & velut plurium criminum reum per-
agi se permisit , ut homo, vitiis & flagitiis longe con-
taminatissimus,ab infernalibus lictoribus liber esset , &
severi judicis iram effugeret. Innoxius manu , fla-
grisqve cæsus , & impuro spurcissimorum hominum
iputo maculatus , omaibusqve ludibrio habitus fuit, ne
homo à stygiis furii sine illa intermissione tunderetur,
& summa opprimeretur infamia. Cruci affixus fuit,
ut hominis scelera & criminum onera ibi una affigeret,
& pro omnibus plenissimam daret satisfactionem. In-
tensissimis doloribus confectus in maledicta arbore de-
pendit,toto corpore foedum in modum lacerato,nerviso-
mnibus magna vi distentis , manibus pedibusq; , emissâ
magna cruoris copia, marcescentibns, ne homo dirissi-
mis inferni cruciatibus fine fine affigeretur. Mortuus
etiam sanctissimum sanguinem aqua admistum ē per-
cussò latere profudit : ut hominis sordes perfectissima
ratione ablueret. Velut mortis Dominus & Dux Vitæ,
reclusis sepulchri antris , gloriose resurrexit,& in cœlos
evectus

evectus est , ut homo etiani , ē densissimis lethi umbris, in lætissimam cœli lucem qvondam evehi posset ; ibique non intercipiendis unquam gaudiis frueretur. Hæc omnia, & innumerabilia alia , qvæ DEus,misso in mundum servatore, Jesu Christo, homini exhibuit beneficia,tanta profecto sunt,&tam ampla,ut majora & ampliora nemo unquam cogitationib⁹ omnibus præcipere,& expectare , nemo etiam digna gratiarum actione satis de prædicare potuerit. Verumtamen , qvamvis ea in hominem, ut illis ad salutem suam frueretur, collata essent, tanta tamen hominis erat infirmitas , tanta inertia , & stupiditas , ut sua sponte,suisque viribus,aliquam ex iis fructum capere , plane non possit. Opus ergo erat singulari qvadam hominis langvidi viribusve & animo destituti incitatione , qva ad salutarem istorum DEI beneficiorum usum commoveretur. Sicuti vero , ne illa deesset,ipse benignissimus Servator, infinito suo merito jamdum fuerat consecutus ; ita Supremum Numen eandem cumulatissime etiam suggescit. Etenim ductorem hominibus & rectorem, ipsum sanctissimū Spiritum suum largitus est , qvi,ne vagi in tenebris amplius oberrarent, veritatis lumen in illis accenderet , & novo vi-gore viribusque eos instrueret , ut comparata sibi à Meffia ineffabilia bona,ad summam voluptatem usqve, possent percipere. Qvando DEus O. M. hominum causa arduum , & memorabile aliquot negotium perficere ingressus fuit, placuit ipsi, non sine aspectabili qvodam apparatu , & illustri ceremoniarum comitatu , illud perficere , quo tanto fortius excitarentur homines, ut non modo aures erigerent , & oculis rem novam intuerentur, sed etiam animos mentesque ad eam impense considerandam adhiberent. Itaque cum incomparabili

A 3

Spiri-

Spiritus S. dono homines impetrare institueret, variis signis homines pariter percellere voluit, ut celsissimum hocce munus omni observantia exciperent. Ecce brevissimum temporis spacium a gloria Messiae in cœlos ascensione, quæ acquisitis sufficientissimis ejus meritis absolutissimum addiderat complementum, effluxerat, & vix quinquagesimus a resurrectione Domini nostri dies agebatur, cum relicti a suo Magistro discipuli Hierosolymis ad presentes Pentecostes ferias celebrandas congregati essent, & subito sonus de cœlo ingruit, quasi vehemens ventus aerem concuteret, totas replens ædes, in quibus considebant. Et visæ statim sunt linguae disperitæ, ignes atque flamas spirantes; & insedit super omnes Spiritus S. ita, ut ignibus ejus repletij, igneo fervore, in amplissimas DEI laudes ferrentur, & variis linguis perorare inciperent. Adeo conspicua, & prælustri ratione, cœlesti isthac munere DEus illos tum donare, adeo solenniter Spiritum S. in homines quasi introducere voluit. Nemo autem existimaverit, magnificum hoc & inæstimabile donum solis Apostolis, & qui eorum vicibus fungerentur, ad partes suas tanto rectius gerendas, fuisse destinatum; alios vero ab eodem prorsus exclusos esse debuisse. Non sane. Arduum omnino, & maxime operosum erat officium, ad quod a Servatore illi fuerant vocati, periculosisimæque iis impendebant difficultates, quas nisi divina operari potuissent, suis viribus neutiquam superaturi fuissent. Quia enim in eam operam incumbere debebant, ut totius orbis gentes ad veritatis agnitionem converterentur, non modo cum supina hominum ignorantia, & inflexibili plurimorum obstinatione, sed cum ipso damnatione, ungues suos, miseris mortalibus crudeli animo irjectos

jectos , firmiter tenente , iis conflictandum erat ; cuius
certe universa potestas , non minus, ac illorum qvando-
que atrocissimus furor , vehementissimiqve impetus
erant excipiendi . Sed ideo etiam statim sub initium
obeundi muneris , tanta divinæ gratiæ ubertate im-
pleti , & præsentissimo S. Spiritus auxilio instructi fuere ,
ut animum ac robur iis adderet , diffidentes confir-
maret , afflictos erigeret , perditos recrearet . Et ideo
eadem cœlestis virtus omnibus in eorum locum suffe-
ctis , & sacro munere in Ecclesia unqvam functuris con-
cessa fuit , qvo infensissimi horum hostis arma magis
magisqve infringere , & malitiam hominum debellare ,
omnesq; adversantiumasperitates supervalere possent .
Verumtamen qvemadmodum DEI , tum per Prophetas
antiqvissimis temporibus jam datæ , tum per ipsum
Messiam repetitæ promissiones , de conferenda Spiritus
S. possessione , non iis solum , qvibus Ecclesiæ ministeri-
um delegatum esset , sed aliis omnibus , divinam grati-
am obstinatis animis non repudiantibus , tribuerunt .
Ita eventus ipse comprobavit , præter illos reliquis et-
iam , divinæ voluntati obtemperantibus , insigne hoc mu-
nus fuisse impertiendum . Ut enim non memorem ,
una cum Apostolis in Pentecostalibus feriis plures alios ,
sacro munere non obligatos , & ipsam Domini Matrem ,
mulieresqve nonnullas , vid . Act . I . v . 13 . benignissima
illa aura afflatos fuisse Cæsareæ in Ædibus Cornelii vid .
Act . X . v . 44 qvoq; accidisse novimus , ut omnes , qvotqvt
Petrum loqventem audiverant , & dictis fidem adhibe-
bant , egregio hoc Spiritus S. dono manifestis indiciis , affi-
cerentur . Ita etiam Paulus , qvando Romanis multa do-
ctrinæ capita , scriptis ad eos literis , explicavit , Epist .
cap.

cap. VI. cogitandum iis exhibuit, qvod Spiritum S.
accceperint, isqve in iis velut in suo habitaculo versa-
retur. Idem Galatiæ populis datae ad eos epistolæ Cap.
IV. v. 6. non minus ab oculos posuit, qvod DEus Spi-
ritum filii sui in corda eorum miserit, plenum illud fi-
duciæ Abba clamantem. Et cum his omnibus fidelibus,
ad finem usqve mundi, eadem fors est, & communis
felicitas, universisqve eadem gratia, idem Spiritus be-
nignissime conceditur. Dabo lubens, id qvod extra o-
mnem dubitationis aleam positum est, in primo N.
Testamenti pentecostali festo, Spiritum S. extraordina-
ria prorsus ratione primis illis Domini assestoribus
fuisse collatum: sed nihilominus cunctis aliis regni
JESu sociis, per verbum DEI, velut ordinarium qvod-
dam adminiculum, idem præbetur, & quousq; hæc mun-
machina stabit, præbebitur. Non diffitebor, qvod
ita perspicuum fuit, ut omnium oculis & auribus judi-
cari potuerit, magna cum pompa, multisq; insignibus &
mirandis factis Spiritum S. illo tempore fuisse effusum:
sed sicuti tum visibiliter, ita deinde invisibiliter cum-
volentibus fuit communicatus. Concedam facile, id
qvod ipsa rei veritas postulat, ad plures effectus produ-
cendos, majori mensura præstantissimum illud cœli
munus primis evangelii præconibus donatum esse:
attamen eodem Spiritu ad acceptam DEO vitam agen-
dam, & æternam salutem qvondam impetrandam, o-
mnes præterea, divinis præceptis obsecundantes, largis-
sime repleti sunt, & porro etiam implentur. Erat sine
hoc S. Flamine miserrima, nec effusis lacrymarum im-
bribus satis deploranda hominis conditio. Etenim
Petrus II. Epist. I. v. 9. eos, qui factæ jam peccatorum
purga-

purgationis obliuiscuntur , & detersis jam sordibus de-
novo commaculantur, ut τυφλοις & μωραλοις, cœcien-
tis & oculos claudentes describit: tanto magis autem ap-
paret, illos , qvi sacris nondum innutriti fuerunt , *venegit
τοις ἀγενήσιαις, de mortuos peccatis;*, à Paulo ad Ephes. II. v.5.
verissime dici potuisse , qvi miseriam suam ne qvidem
intelligerent, adeoqve meliorem fortunam nec exspe-
ctare possent , nec desiderare , nec ulla etiam ratione in-
vestigare. Igitur, nec alia quoqve opera perficere pot-
erant , qvam qvibus iram DEI, in illorum perniciem
jam flagrantem, magis adhuc incenderent : & continua
dubitacionibus, obortisqve non raro intestinis malefa-
ctorum conscientia morsibus , qvamdiu in hoc mundo
ætatem agebant , lacerati, tartareis olim doloribus in-
omnem æternitatem angendi erant , & excruiciandi. In
his necessitatibus, in tanta calamitate, immensa & inef-
fabilis DEi gratia , omnemqve intelligendi facultatem
prorsus excedens benignitas universam hominum gen-
tem complexa fuit. Etenim non tantum infinitis Mes-
siæ meritis omnes in gratiam reduci , omniumqve sa-
lutem reparari curavit : sed omnes etiam gratiose Spi-
ritu suo , illo salutis nuncio , felicitatis interprete , vitæ
assertore exornare instituit. Hic omnes movet , im-
pellit, sollicitat , obtenebratas omnium mentes fulgore
suo irradiat , ut in omnem partem lumina dirigere , &
veritatem cœlestem spectare possint ; emortuas animi
atqve corporis vires instaurat : quinimo naturæ pver-
sitate & errandi consuetudine relabentes non deserit ta-
men , sed renovat , & magis magisqve eos ad suam
ipsorum salutem exfuscat ; obscuros omnes excœcati
cordis sinus & recessus illustrat , & reluctantium qvan-

B

doqve

doqve conatus reprimit atqve coercet; intercurrentes
qvoqve vitiosas animi perturbationes, & improbas li-
bidinum flamas sedat & restingvit, deniq; deductos
sic in rectam viam assidue comitatur, monet, hortatur.
Qvicunq; jam sanctissimis ejus monitis, & frequen-
tissimo hortatui pie obseqyuntur, & obfirmata animi
duritie placidissimis ejus motibus non obsistunt, eos
vacillantes fulcit, fluctuantes firmat, admissorum faci-
norum recordatione anxios erigit, & luendi olim
supplicii metu, infernalibus furis ignes flamasque
minantibus, territos recreat & solatur, deniq; ad perfe-
ctissimum omnium eorum bonorum, qvæ Christus pro-
meruit, usum introducit. O infinitam DEI bonita-
tem! O admirandam beneficiorum affluentiam!
Cujus sane nemo hominum unquam factus fuisset parti-
ceps, si Spiritus S. in eos non descendisset. Cum in fero-
cem, & infestam Israeli, & pluribus aliis populis, Chaldæ-
orum gentem DEus olim animadvertere statuisset, Je-
remias, Dominus, inquit, thesaurum suum aperuit, &
protulit vasta ira sua, Cap. L. v. 15.: at, dum Spiritum
Sanctum in homines demittit, & per ipsum omni bo-
norum copia eos cumulat, aperuit certe Dominus
thesaurum suum, & qvicq; id ad homines beundos
conferri potuit, cumulatissime exhibuit. Qvibus hinc
verbis longe meliori jure uti hoc loco possum, qvam
cum Pontifex Romanus, Clemens X: indictio Anno 1675.
Jubilæo, ad significandum vanissimum suum indulgen-
tiarum thesaurum, ista Prophetæ verba in nummo quo-
dam insculpi curaret. Veteris Testamenti tempore,
cum Festum Pentecostes celebraretur, segetum messis
modo finita erat, ideo, ad testandam animi gratiam, in
his

his fériis frugum primitiæ Deo offerri debebant; quæ cau-
sa etiam fuit, ut, cum aliis nominibus insigniretur, fe-
stum quoque messis, & primitiarum, appellari consvererit,
Vid. Exod. XXIII. 16. Profecto longe maximo jure
Pentecosten Novi Testamenti festum messis ego nunc
dixero, quippe quo Deus effuso Spiritu S. homines ad
felicissimam inenarrabilis & exsuperantissimæ suæ bo-
nitatis usurpationem invocat & adducit. Ibi quidem,,
quando festi solennitas peragebatur, frugum collectio ad
finem jam fuerat perducta; at congestæ in hominum
gentem DEI opes nullo tempore deficiunt, nunquam
recluduntur, indesinenter illas decerpere licet. En-
opima earum messis ad extremum cujusque hominis
vitæ terminum continuatur; quin, ad novissimum or-
bis finem eadem continuabitur. Magna hæc messis est,
ipso dicente Servatore dulcissimo, Matt. IX. v. 37. Et O fe-
lices nos, si tempus ejus probe observaverimus. Aga-
mus ergo, CIVES ACADEMIÆ ÆSTUMATISSIMI,
gregatim pia mente concurredamus, accingamur, fal-
cem sancte immittamus, decerpamus, conqviramus,
colligamus, cumulemur, affluamus, & omnium re-
rum copia instructi lætemur, exsultemus. Fiet hoc, si
grande hoc Spiritus S. munus venerabundo cultu excipi-
amus, si facilem & svavissimum ejus ductum obsequenti
animo admittamus, si sollicito cultu celsissimi hujus ho-
spitis societatem asservemus & custodiamus. Væ enim
nobis, si perficta fronte, invisa DEO pravitatis opera
perficeremus vel continuemus, vel repetamus; si libidinis,
discordiae, conviorum, poculorum nefaria studia
porro tractemus, aliisque flagitorum sordibus ite-
rum iterumque commaculemur, tum enim è criminosis

illis carnis operibus , secundum indicium Pauli ad Galat Cap. VI.v. 8. non nisi perniciem metemus & interitum.
Igitur repudiatis iis , incurentesque quandoque per-
versitates magis magisque amolientes omni contentio-
ne pietati studeamus , & non solum primitiarum,
loco convectos hujus messis tempore sanctitatis fructus,
sed nos ipsos totos etiam , veluti perpetuam & acce-
ptam oblationem , DEO offeramus , quemadmodum
ad id creberrimis praeconum sermonibus , quibus per
hos dies templa personant , monemur & invitamur.
Sic enim cum seminaverimus in Spiritum , post actam
in hac vita beneficiorum DEI largissimam messem ,
ipsam olim metemus vitam eternam , & non inter-
vertendae unquam felicitatis participes , inexhaustæ
divinæ benignitatis erga homines exsuperantium , in
æternam DEI Patris , Filii & Spiritus S. gloriam ,
sine fine celebrabimus.

Valete!

Dat. Rostoch. A. MDCCXX. d. 19. Maii ,
& P. P. sub Sigillo Rector.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004002467/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004002467/phys_0016)

DFG

his fériis frugum primitiæ Deo offerri debebant
 sa etiam fuit, ut, cum aliis nominibus insigni-
 sum qvōqve messis, & primitiarum, appellari co-
 Vid. Exod. XXIII. 16. Profecto longe maxi-
 Pentecosten Novi Testamenti festum messis
 dixero, qvippe qvo DEus effuso Spiritu S. ho-
 felicissimam inenarrabilis & exsuperantissim-
 nitatis usurpationem invocat & adducit. Ibi
 quando festi solennitas peragebatur, frugum co-
 finem jam fuerat perducta; at congestæ in
 gentem DEI opes nullo tempore deficiunt,
 recluduntur, indefinenter illas decerpere licet
 opima earum messis ad extreum cūjusque
 vitæ terminum continuatur; qvin, ad novissi-
 bis finēs eadem continuabitur. Magna hæc
 ipso dicente Servatore dulcissimo, Matt. IX. v. 3
 lices nos, si tempus ejus probe observaverimus
 ergo, CIVES ACADEMIÆ ÆSTUMA
 gregatim pia mente concurrramus, accinga-
 cem sancte immittamus, decerpamus, con-
 colligamus, cūmulemur, affluamus, & omni-
 rum copia instructi lætemur, exsultemus. Fi-
 grande hoc Spiritus S. munus venerabundo cul-
 amus; si facilem & svavissimum ejus ductum o
 animo admittamus, si sollicito cultu celsissimi
 spitis societatem asservemus & custodiamus;
 nobis, si perficta fronte, invisa DEO pravitate
 perficere vel continuemus, vel repetamus; si
 discordiæ, conviciorum, poculorum nefari
 porro traetemus, aliisque flagitiorum for-
 rum iterumqve commaculemur, tum enim è

B 2



the scale towards document